NOMINA.

VETERIBVS ne Græcis & Latinis frutex ille cognitus fuerit, me ignorare adhuc ingenuè fateor. Quare cum nomen aliud quo hunc appellaremus in promptu non esset, uulgarẽ & qua omnes hodie herbarij utuntur nomenclaturam usurpare uoluimus. Vuam autem crispam fruticem hunc dixerunt ab intortis fereq; in circulum uersis (crispa alij uocant) folijs, & acinis quos producit. Quo etiam respicientes Germani nostri, Krußbeer / oder Krüselbeer uocant. Latinius fortè uua intorta nuncuparetur.

Vua crispa curdicta.

FORMA.

Frutex est ramulis multis, aculeatus, rectoq; spinarũ mucrone horridus, folijs intortis ac circinatæ rotunditatis, Apij modo dissectis, flore ex herbido purpurascente, acinis candicantib. & splendescentibus, primum acerbis, à maturitate dulcibus. Ex ijs abunde constare putamus, fruticem hunc cuius picturã exhibemus, non esse primam, ut nonnulli arbitrantur, Rhamni speciem. Nam etsi cætera respondeant, tamen folia quæ rotunda & minimè oblonga sunt, ut Rhamni, repugnare manifestè uidentur. Posset tamen citra aliquod uitæ discrimen Rhamni generibus annumerari, quod scilicet uiribus illi similis admodum sit, quas etiam illi suo loco adscribemus.

LOCVS.

In frutetis & sepibus nascitur, non tamen passim. Nusquam autem copiosius quàm Tubingæ luxuriat, ubi circa omnes ferè sepes sese profundit.

TEMPVS.

Veris statim initio frutex ille pubet, primum hoc tempore folia, dein flores, ac
D non diu pòst acinos seu baccas acerbitate gratas profert.

TEMPERAMENTVM.

Hauddubiè idem quod Rhamnus temperamentum obtinet. Vt enim hic adstringit & refrigerat, sic etiam illa. Refrigerat autem in primo completo, aut secundo incipiente, desiccat uerò in secundo.

VIRES. E DIOSCORIDE.

Folia ignibus sacris & herpetis illita auxiliantur. Fertur & ramos eius foribus & fenestris appositos ueneficiorũ arcere maleficia. E quibus Dioscoridis uerbis satis liquet, Vuam intortam non hoc tantum nomine sepibus apponi ut easdem muniat, atqueadeò alienorum ingressum prohibeat, uerumetiam ut ueneficia ab hortis propulset. Vt hinc quoq; colligere liceat, eiusdem cum Rhamno esse facultatis.

E GALENO.

Herpetes sanat, & erysipelata non magnopere calida. Porrò ad hæc teneris utendum est folijs.

DE BALSA-



VVA CRISPA